

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Articvlvs III. Vtrum Angeli sint creati ante mundum corporeum. articul. 3.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](#)

est respondendum. Quæ vero tam hac, quam præcedente quæst. dicuntur, plenius intelligentur ex iis que diximus. 1. 2. quæst. 1. artic. 6. &c quæst. 10. 13. & 14. Illud admonuerim in Angelis non esse actus surreptitios, atque indeliberatos, vt sunt in nobis. Quare ex eo capite non dantur in eis actus naturales, vt distinguuntur contra liberos.

## ARTICVLVS III.

Vtrum Angelus diligit seipsum dilectione naturali & electuia.

Amor amicitiae concupiscentia quid.

**Q**VANDO alicui volumus aliquod bonum, id cui volumus tale bonum, diligimus amorem amicitiae: bonum vero, quod illi volumus, diligimus amore concupiscentiae, sive ergo Angelus sibi velit ultimum finem, sive medium ad illud consequendum, seipsum diligit amore amicitiae. Quia igitur Angelus sibi vult ultimum finem dilectione naturali quod speciem actus: ea vero, quæ sunt ad finem, dilectione electuia, & omnino libera: efficitur, ut seipsum diligit, & dilectione naturali, & electuia.

## ARTICVLVS IV.

Vtrum Angelus naturali dilectione diligit alium sicut seipsum.

Angelus unus quo amore Angeli tunc alterum diligit.

**S**ERMO est de dilectione amicitiae, respondetque D. Thomas: Si alius Angelus præcisè spectetur, quatenus est unum secum in specie, diligit cum dilectione naturali quod speciem actus. Si vero spectetur secundum alias circumstantias, potest eum habere odio. Minus tamē naturalis, & necessaria quod ad speciem actus est talis dilectio, qua unus Angelus diligit naturaliter alium priori modo: spectatum, quamnequa diligit seipsum, proptereà quod minor sit unitas viuis cuiusque cum altero, etiam illo modo spectato, quam secum, tametsi vtraque dilectio ab inclinatione naturali proficiatur.

## ARTICVLVS V.

Vtrum Angelus naturali dilectione diligit Deum plus quam seipsum.

**Q**UESTIONEM hanc discussimus 2. 2. quæst. 26. art. 3. quo in loco similem de homine excitat D. Thomas questionem.

## QUESTIO LXI.

De productione Angelorum in esse naturæ.

## ARTICVLVS I.

Vtrum Angelii habeant causam sui esse.

Ratio ordi-

**A**B SOLVITA tractatione de iis, que ad potentias Angelorum pertinebant, differit D. Thomas questionibus sequentibus de illorum creatione. Licet autem hæc quæstio præponenda disputationi de potentia aliqui videri posset, intendens tamen D. Thomas simul explicare, quales emanauerint à Deo, non solum secundum esse naturæ, sed etiam gratiæ, & quales seipso postea per Molina in D. Thom.

A suum liberum arbitrium effecerint, ad quod necessaria erat præcognitio potentiarum Angelorum, distulit hucusque disputationem de eorum emanatione à Deo.

In hoc articulo sermo est de causa efficiente esse angelorum. Conclusio affirmat. Angelii efficienter sunt à Deo. Est de fide, vt constat ex definitione Ecclesiæ in Conc. Later. 2. c. Firmiter, de summa Trinitate,

Angelorum  
Deus est ef-  
fector.

& fide Catholica: Vnum est uniusorum principium, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spirituali & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam. In symbolo Concil. Nicen. Factorem visibilium & inuisibilium. Ioann. 1. Omnia per ipsum facta sunt. Cū dicat omnia, nullum sanè ens aliud à Deo excludit. Ad Coloss. 1. In ipso condita sunt universa in celis, & in terra, visibilia & inuisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. Ad Heb. c. 1. de Filio Dei ait Paul. Portans omnia verbo virtutis sue. Omnia dixit etiam Angelos. Et infra: Cum introducit primogenitum in orbem terre, dicit: Adorem eum omnes Angelii. Et ad Angelos dicit: Qui facit Angelos suis frumentos, & ministros suos flammanigros. Et infra: Omnes sunt administratori spiritus, &c. Rationibus vero à lumine naturali petitis constat ex dictis q. 2. artic. 3. q. 3. artic. 4. quæst. 11. quæst. 44. & 45. artic. 2. & 5. Omne ens aliud à Deo, fuisse à Deo creatum.

## ARTICVLVS II.

Vtrum Angelus sit productus à Deo ab eterno.

**C**ONCLVSTO negat, estque de fide, vt D. Thomas hoc loco, & August. 1. de Civit. Dei cap. 15. affirmit, constatque ex definitione illa citata cap. Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica. Proverb. 8. Dominus possedit me, antequam quicquam fecerit. Eccles. 18. Qui viruit in eternum, creavit omnia simul: ergo nihil ex aeternitate: cū constet condidisse mundum in principio temporis. Imò ex illo Genef. 1. In principio creauit Deus celum & terram: idem aperte colligitur: Idem est enim in principio, atque antequam quicquam aliud produceret. De qua re latius art. sequenti. Ecclesiast. 24. de sapientia genita dicitur: Primogenitus ante omnem creaturam. Et ad Coloss. cap. 1. post verba artic. precedente citata ait Paulus: Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constat.

Angeli non  
sunt ex aet-  
ernitate proda-  
ti.

## ARTICVLVS III.

Vtrum Angelii sint creati ante mundum corporeum.

**E**X Gracis plerique affirmit, Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos. In pri- mis Orig. hom. 11. in Gen. exponens illa verba: In principio creauit Deus celum & terram: quasi sensus sit, In principio id est, in Filio, addit: Non ergo hic temporale aliquod principium dicit, sed in principio, id est, saluatore factum esse dicit celum & terram, & omnia qua facta sunt. Et infra, exponens verba illa, & factum est vespero & mane dies una, ait, Nō dixit, dies prima sed dixit, dies una: quia tempus nondum erat, antequam esset mundus. Tempus autem esse incipit ex sequentibus diebus. Et in illa verba: Fecit Deus firmamentum. Cum, inquit, iam ante à Deo fecisset celum, nunc firmamentum facit. Fecit enim celum prius de quo dicit: Celum mihi sedes est: post il- lud autem firmamentum fecit, id est, corporeum celum:

Ecc 2 omne

omne enim corpus sanguinem est sine dubio & solidum: & hoc est quod dividit inter aquam que est supra cælum, & aquam que est sub cælo. Cum enim ea que facturam erat Deus, ex spiritu constarent & corpore, ista de causa in principio & ante omnem cælum dicit facit, id est, omnis spiritualis substantia, super quam velut in throno quodam, & si de Deo requiretur, illud autem cælum, id est, firmamentum, corporeum est. Et ideo illud quidem primum cælum, quod spiritualis diximus, mens nostra est, que & ipsa spiritus est, id est, spiritualis homo noster qui videt ac respicit Deum. Quibus verbis etiam redolent creationem animalium nostrorum fuisse ante mundum corporeum. Præterea tractatu 9. in Marth. exponens verba illa: Erunt primi nouissimi. Vide, inquit, si potes dicere primum genus esse angelorum, quasi honorabilius hominibus, qui nouissimi pro Angelis esse videntur. Nam sicut scriptum est in Iob. Quando facte sunt stelle, laudaverant eum omnes Angeli eius, quasi antiquiores, non solum hominem post creatum, sed & omni creatura proper eum creata. Et sic audebit aliquis dicere, quod multi Angelorum, qui priores fuerunt hominibus, efficiuntur inferiores quibusdam hominibus. Hæc Origenes.

Deinde Basilius homilia 1. in Hexaëmeron, De Æs, inquit, enarratur. Moses, quia ex tempore sortita sunt vi essenti necessario, certe ex tempore condito, hanc prætextu vocem, in principio, nec tamen absimile vero fuerit credere, suisse quiddam, vel ante mundi istius constitutionem, id quod arcana quadam animi contemplatione licet intelligi, tamen ei has de re nibil in literas Moyses transmisit, quod rei tanta cognitio parvus idonea videvetur istis parvulis, qui lacite dum doctrina initiandi rudimentorum fidei veniunt, & inserviunt. Erat sane status quidam mundi generatione superior abstractis illis à concretione materie potentissimo mundo prestantioribus pro decoro accommodatus, tempore etiam conditione antiquior, eternus nimurum, ac perpe. Creaturas autem in ipso creator omnium, atque opifex perfecti, lucem spiritualalem eorum beatitudinem accommodam, qui Dominum amant naturas rationis, ut maxime predicas, atque inuestigabiles, omni, quae beatarum mentium ordines, quotquot nostra mentea quantumlibet dixeris, facultatem exuperant, quorum ne nomen clatus, quidem possumus innuere. Et haec substantiam complevit mundi illius initib[us], ut & ipsius instrumentum doctore Paulo. In ipso, ait, condita sunt omnia sive visibilia, sive invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive principatus, sive potestates, sive Virtutes, sive angelorum exercitus, sive Archangelorum preficie. Tum demum connuebat his conditus mundus et accederet, & adiungetur, corporis scilicet, ut latè exponit.

Gregorius etiam Nazianenus oratione 38. de Natiuitate: Primum, inquit, angelicas & coelestes virtutes cogitauit, atque illa cogitatio opus erat, quod Verbo consiciebat ac Spiritu explebatur. Atque ita secundum splendores procreari sunt, primi splendoris ministri, &c. Addit: Sic igitur, atque ob has causas intellectualis mundus ab eo creatus est, quantum quidem ipse de his rebus philosophari quo, exigua oratione res magna expendens. Postquam autem primas creationis partes præclarè constitutas vidi, alterum mundum materia constantem, & spectabilem cogitauit, hanc nimurum ex cælo, & terra, & rebus, que eorum complexu continentur coagulationem, & concretionem, &c. Idem docet in carmine Iambico 15.

Gregorio Nazianeno subscrift Darnacenus 2. lib. fidei Orthodoxæ cap. 3. vbi, Nonnulli, inquit, ante omnem creaturam factos Angelos, ut diuiniloquus dicit Gregorius, & primum quidem Deum cogitasse angelicas & coelestes virtutes, & eius cogitatione opus fuisse. Alij autem post primum cælum factum. At quod ante

A hominis plasmationem creati sunt, concordant omnes. Ego vero de te quo Gregorio accedo. Nam par fuit primum intellectualem substantiam creari, atque sic sensibilem, & runc ex virisque hominem.

In eadem sententia videtur esse Chrysostomus lib. 1. de prouidentia, cum sic scribit: Post angelorum creationem fecit hominem mundumque omnem.

In eamdem sententiam aperte beatus Maximus in Centuriis Theologicis, quem refert, & sequitur Ioannes Cyparissioris decade 8. rerum theologicorum c. 3. & 4. Denique tam communis inter autores Græcos fuit hac sententia, ut Cassianus collatio- B ne 8.c. 7.ex Abbate Sereno hec verba refererat: Ante conditum huius visibilis creatura spirituales, celestes que virutes Deum fecisse, qua pro hoc ipso quod seru- se ad tantam beatitudinem gloriarum beneficio creatoris ex nihilo fuisse producias, perpetuas ei gratias referentes in- desinenter eis laudibus inhaerent, nemo fidelium du- biatur. Quibus multa in eamdem sententiam subiungit Casianus ex eodem Abbat. Porro D. Tho. hoc loco in responsione ad primum his verbis Cassia ductus videtur, ut alteret, Græcos omnes concorditer sen- tire angelos ante mundum corporeum fuisse creatos. Cū tamen multi ex doctoribus Græcis, ut statim referemus, sint qui contraria sententiam affirmet.

Ex Latinis etiam non pauci eamdem sententiam secuti sunt. Hilarius 12. de Trinitate verius finem. Angelorum, inquit, origo terra creatione reperitur antiquior: idem repetit in libro contra Auxentium Arianum.

Ambrosius in Hexaëmeron cap. 5. Factus est, inquit, mundus, & caput esse qui non erat, sed Angeli, & si aliquando esse coepirini erant tamen quando hic mundus est factus. Et in prestatione in psalmos, Laudant, inquit, Angeli Dominum, & ante ipsum mundi ini- tium Cherubim & Seraphim cum suavitate canore vo- cies dicebant. Sancti us, sancti, sancti.

Hieronymus in epistolam ad Titum cap. 1. in il- la verba: Ante tempora secularia, sicut, ut videtur, se- cutus magistrum Gregorium Nazianenum sic ait, Sex millia nondum nostri temporis complentur annu- rum, & quantitas tempora, quantumque seculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angelii, Throni, Domi- nations, certeque ordines Deo seruerunt.

Isidorus lib. 1. de fummo bono cap. 12. senten- tia 4. Ante omnem, inquit, creaturam mundi creata sunt Angeli. Beda item in libello separatum quatuor- num q. 9. ita loquitur: Angeli ante creationem mundi creatis sunt, & ante omnem creationem Angelorum dia- bolus est conditus.

Suaderi potest hæc sententia primò. Ex eis verbis ad Titum 1. In istam vita æternæ, quam promisisti, qui non mentitur, Deus ante tempora secularia, id est, ante mundi sensibili constitutionem, cū ergo, quod promittitur, alleui aut aliquibus promittatur, conve- quens est, ut antem mundi constitutionem fierint An- geli, quibus Deus vitam aeternam hominibus per Christum conferendam promiserit: promissio namque rei intellectu prædicta sit, nec alia quam ange- lis, aut mundi constitutionem intelligi valer. Idem signficare videvit illud 2. ad Tit. 1. Qui nos libera- nit, & vocavit secundum propositionem suum, & gratiam, qua data est nobis in Christo Iesu, ante tempora secula- ria, manifestata autem est nunc per illuminationem Sal- uatoris nostri Iesu Christi: sicut ergo ex sententia Pauli seculum non seculare, nempe angelorum æu: ante secula huius mundi, in quo Deus angelis promisit gratiam per Christum hominibus communicandam.

Secundo ex illo Iob 38. Vbi eras quando ponebam sibi Sicut damna terre, cum me laudabant simul astra marina,

*& iubilarent omnes filij Dei: quem locum exponunt sancti Patres de angelis sanctis, qui, dum Deus mundum hunc visibilem fabricabat, admirantes sapientiam & potentiam illius in operibus, quæ moliebatur, laudabant Deum, iubilabantque tñtæ sapientia, potentia quæ spectaculo: cum ergo creatio terra, atque in media mundi sede locatio, fuerit statim à principio fabricæ mundi huius sensibilis, fit, ut creatio angelorum totam fabricam huius mundi antecellerit.*

*Tertia.* Tertio, ex illo Job. 40, de Behemoth, hoc est, Lucifer, de quo dicitur *ipse est principium viarum Dei*, id est, qui primò à Deo creatus est: ergo fuit creatus ante mundum corporeum.

*Quarta.* Quartò, ex illo Ecclesiastici 1. *Prior omnium creata est sapientia: quod intelligi nequit de Filio qui est sapientia increata: intelligentum ergo est de Angelis, qui ante omnes alias creatureas sunt producti. His accedit, quod ratio videtur flagitare, ut sicut angeli dignitate res corporales antecedunt, ita sint ante eas conditi. Item quia vt Cassian. loc. cit. ait, *Incongruum est sentire Deum in innumeris seculis, qua ante rerum corporearum creationem præcesserunt, ab omni prouidentia, & dispensatione fuisse otiosum, neque habuisse, in quos sua bonitas exerceret beneficia.**

*Gennadij & quorundam aliorum sententia.* *Communis An- gelos simul cum mundo corporeo con- ditos esse.* *Vt missam faciamus sententiam Gennad. cap. 10. de Ecclesiasticis dogmatibus tertio tomo operū Augustini, & quorundam aliorū, afferentū, angelos creaturetos quidem fuisse ante hominem, & ante opera quæ Gen. 1. facta narrantur, postquā Deus dixit, *fiat lux:* attamen creaturetos fuisse post eundem & terram, in eternis, in qua terra erat inanis & vacua, & tenebrae erant super faciem abyssi: quā sententiam reicit Damasc. loc. citat. Pratermissis item quibusdam aliis minus probabilibus sententiis: *Communis scholastico- rum sententia cum Magistro in 2. d. 1. & D. Thom. hoc loco, est, angelos creaturetos fuisse simul cum terra & cœlo empyreo, atq; adeò nec creationem angelorum fuisse priorem creatione mundi corporae, nec; hanc fuisse priorem angelorum creatione.* Eādem ex Græcis afferuerunt Epiphan. tom. 2. contra hærefes ferè in princip. heret. 65, contra Paulū Samosatensem his verbis: *Cū cœlo & terra simul angelii facti sunt. Nisi enim vñ à cum cœlo & terra angelii quoq; creati es- sent, non vñq; dixisset ad Job. Quando genita fuerū sy- dera, laudauerunt me omnes angelii mei.* Et infra: Clare, inquit, indicat Scriptura, quod neque post sydera facti sunt angelii, neque ante cœlum & terram, cum palam intras- mutabile sit diuinum hoc quod ante cœlum & terram nihil erat ex creatis. Nam in principio fecit Deus cœlum & terram: ut principium sit, & nihil ex creatis ante hoc ipsum sit. Hac Epiph. Theodoret. q. 3. in Genes. multi citant etiam Athanasium q. 3. ad Antiochum, nihil tamen ea de re dicit. Sixtus Senens. lib. 5. bibliotheca annotatione 5. citat etiam Acacium Cæsariensem Episcopum, & Diodorū Tharsensem Episcopum.*

Ex Latinis verò eamdem affirmarunt August. 11. de Ciuit. Dei cap. 6. & 9. Greg. 32. Moralium cap. 9. iuxta impressionem Parisiensem anni 1571. Et iuxta verutatem c. 10. eiusdem libri 32. Et plerique alii. Possunt forte pro eadē sententia citari Beda, & Isidorus, locis supra citatis, qui eodem prorsus modo loquuntur, & ideo satis erit eorum alterum referre. Isidorus vbi supra licet sententia tertia, sic loquatur, *Ante omnem creaturem angelii facti sunt: addit tamen, dum diuinum est, fiat lux: de ipsis enim dicit scriptura: Prior omnium creata est sapientia: lux enim dicuntur: participando luci aeternæ. Sapientia verò dicuntur, inge- nite inherendo sapientia.* Item licet sententia quarta dicat, *Ante omnem creaturem mundi, creati sunt ange-*

*Aelma in D. Thom.*

*A* li, addit: *Et ante omnem creationem angelorum diabolus conditus est, scilicet scriptum est, Ipse est principium viarum Dei. Vide ad comparationem angelorum archangelus appellatus est. Primus enim creatus extitit ordine prelationis, non temporis antiquitate. Et sententia septima: Prius, inquit, de cœlo cecidisse diabolum creditur, quam homo conderetur: nam mox, ut factus est, in superbiam erupit, & precipitatus est de cœlo. Ecce Isidorus, & Beda de prioritate prælationis, non durationis loquuntur, & dum affirmant angelos creaturetos fuisse, dum dictum fuit, *fiat lux*, item cecidisse de cœlo, antequam homo conderetur, moxque diabolum, ut factus est, in superbiam erupisse, manifestè sentiunt angelos non fuisse creaturetos, antequam Deus cœlum & terram conderet.*

Probari potest, angelos non fuisse creaturetos ante mundum corporeum, primò, & potissimum ex illo Genes. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Cui testimonia Epiphanius, Augustinus, & plerique alii potissimum innituntur. Etenim licet inter sensus literales computari possit, & debeat sensus ille, *In principio, id est, in Filio, creavit Deus cœlum & terram,* quatenus idem Scriptura locus habere optimè potest multos literales sensus, ut q. 1. art. 10. ostendimus, attamen, vt ibidem diximus, hic alius, *in principio, id est, ante omnia, seu in exordio, habedus est pro indubitate: eo quod plus hunc, quam illum alium, textus facit præ se ferat: id quod in tractatu de opere sex dierum disputation. 6. clarius ostendetur: fit ergo, ut angelii conditi non fuerint ante cœlum & terram, sed simul: alioquin non cœlum & terram, sed angelii facti dicerentur in principio, id est, ante omnia, vt August. & Epiph. argumentatur. Et meo iudicio licet tamquam literalis sensus admitti possit, & debeat, quod Deus in principio temporis creaverit cœlum & terram, vt in tractatu de opere sex dierum disputation. 6. & 7. dicimus, in eoque sensu Lateranense Concilium fuerit locutum, non tamen ita vt prior sensus negati possit, aut debeat literalis esse, & fuisse intentus ab Spiritu Sancto, de qua re loco citato fusior erit lermo. Confirmari potest hæc expostio ex illo Prouerb. 8. *Dominus posedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio.* Ab aeterno ordinata sum, & ex antiqua, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Quo in loco afferens diuinam sapientiam, le Dei esse possessionem, antequam quicquam faceret, id explicat dicens, antequam terra fieret, & antequam el- fent abyssi, quasi ante terram & aquarum abyssum, de quibus Genes. 1. dicitur, *In principio creavit Deus cœlum & terram, & tenebrae erant superfaciem abyssi,* nihil omnino à Deo fuerit conditum.*

Secundò idem probatur ex illo Ecclesiast. 18. *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul, creatione vide- licet propriè dicta, quia aliquid ex nihilo producitur. Quæ enim Deus Genes. 1. post cœli, terræ, & abyssi productionem, creasse dicitur, non de nihilo, sed de aliquo produxit, ac proinde productio eorum non fuit creatio propria, quin potius ea omnia quoad substantiam, seu materiam, producta fuerunt à principio, vt Greg. lib. 32. Moral. cap. 9. adnotauit. Habet tamen locus ille Ecclesiastici varias alias expositiones, sed certè expositio Gregorij citata, quæ etiam est aliorum, optima censerri debet.*

Tertio ex illo ad Colos. 1. *In ipso condita sunt uni- versalia in celis, & in terra, visibilia, & invisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum. & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia. & omnia in ipso consistunt. Connumetans autem con- dita in celis, ait, siue throni, siue dominationes, &c. fit*

*Ecc. 5 ergo*

ergo ut angeli in celo sint conditi, ac proinde non ante celum & mundum corporeum.

Quarto, ex illo Genes. 2. Et requieuit Deus die septimo ab vniuerso opere suo quod patravat: sit ergo, ut sex præcedentibus diebus vniuersa opera sua patravit, ac proinde ut angelos etiam illis diebus condiderit, ut August. 11. de Ciuitate Dei cap. 9. colligit.

Quinto, Angeli post mundum corporeum factum peccauerunt in celo, ut constat ex illo Apocal. 12. de dracone. Et cauda eius trahebat tertiam partem stellarum celo. Et infra: Et factum est prælimum magnum in celo, Michael & angelus eius prælabantur cum draconem, & draco pugnabat, & angelus eius, & non valuerunt, neque locus inueniens est eorum amplius in celo, & proiectus est draco ille magnus, & serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satan. Et ex illo Luc. 10. Videbam Satanam sicut fulgor de celo cadentem: peccauerunt autem ante ruinam primorum parentum, ut constat, quoniam diabolus serpens antiquus Euæni seduxit. Iaia 14. Quip modo cecidisti de celo Lucifer, qui mane oriebaris? Cum ergo ex communi Sanctorum sententia peccauerint statim post sui creationem, ut ex Isidoro, & Beda suprà relati est, mox quippe ut diabolus creatus est in superbiam erupit, efficitur, ut angelii non fuerint creatante celum & mundum corporeum. Confutatur haec ratio, quoniam demones statim, ac peccauerint cruciati sunt igne inferni, qui ut Christus Matth. 25. ait, parvus est diabolus, & angelus eius: ergo ignis inferni fuit statim ac angelii peccauerunt, atque adeò mundus corporeus iam erat, quando angelii lapsi sunt: cum ergo ex Patrum sententia modica mora fuerit inter angelorum creationem, & corundem peccatum, efficitur, ut angelii creati non fuerint ante mundum corporeum.

Deinde quod angeli conditi non fuerunt ante mundum corporeum videtur aperte affirmare Sophronius in sua epistola, quæ habet in 6. Synodo actione 1. suscipiturque ut orthodoxa à toto Concilio actione 13. Ait namque: De principio visibilis mundi, & constitutione, que facta est, confiteor, quod omnia, non tantum visibilia, sed & inuisibilia, unus Deus condidit, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, illa sempiterna natura, quæ nescit exordium, & ex non existentibus protulit ut existentes, & non existentes repente produxit, & horum multorum millionum differentias prudenter produxit. Omnia enim per unigenitum Filium Pater in Spiritu sancto fecit, quæ & sapienti prouidentia continent ut Deus suis operibus per se dicens, principiumque omnibus temporali constitutus, sensibilia quidem fini temporali supposuit, intellecchia vero & inuisibilia haec meliori dignitate dignatus est, & nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur, iuxta quod sensibilia defluant, atque pertransirent. Hactenus Sophronius.

Longe apertior est definitio Ecclesiæ in Concil. Lateranen. 2. c. Firmiter, de summa Trinitate & fide Catholica, vbi Innocentius tertius cum vniuersa synodo in hunc modum definit: Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus est solus verus Deus, unus vniuersorum principiū, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualem & corporalem, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis, veramque de nibo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.

Dubium vero est, vtrum post tam apertam Ecclesiæ definitiō, error sit hodie in fide asserere, angelos conditos fuissent ante mundum corporeū. Multū sunt qui affirmant, id non esse errorem in fide. Et in primis D. Thom, hoc loco, qui licet longè proba-

bilius, & omnino verū existimet, angelos simul cum mundo corporeo fuissent conditos, addit: Quoniam contrarium non sit reputandū errorum, præcipue proper sententiam Gregorij Nazianzeni cuius tanta ejus in doctrina Christiana autoritas, ut nullus emquam eius dictis calumniam inferre presumperit, sicut nec Athanasij documentis, ut Hieronymus dicit. Non defuit qui arbitretur, dū D. Thom, hæc scripsit, non meminisse definitionis Concil. Lateran. Si nāque illius recordaretur, sanè mentionem aliquam de ea fecisset hoc loco, rationemq; reddidisset, quare, nihil obstante definitione illa, contrariū non esset error in fide. Alij contrā obiciunt D. Thom, edidisse opusculū 23. quod nihil aliud continet, quād expositionē decreti Concil. Lateran. quare verisimile non est dum hæc scripsit, definitionē illam in mente ei non venisse. Canus negasse fertur opusculū illud esse D. Th. ac sanè in eo opusculo aperte confet D. Thom, verba, quæ ex Concil. Lateran. retulimus, definitionem esse fidei, non quidē occasione dirimendi controvēsia, de qua nobis modò est fermo, sed occasione excludendi errorē Origen. sanctitatem. Dum enim ad expōndā verba, quæ ad rem præsentem faciunt, deuenit, sic ait: Alius fuit error Origenis ponēt, quod Deus à principio creauit solum spirituales creature, & postea, quibusdam earum peccantibus, creauit corpora, quibus quasi quibusdam vinculis spirituales substantia allegantur, ac si corporales creature non fuerint ex principiō Dei intentione productæ, quia bonum est eas esse, sed solum ad puniendum peccatum spiritualium creature, cum tamen dicatur Gen. 1. Videlicet Deus cuncta que fecerat, & erant valde bona. Vnde ab hoc excludendum, dicit concilium, simul ab initio temporis vtrumq; de nibilo condidit creaturam spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam. Hactenus D. Thomas. Confet ergo illam esse definitionem fidei, ut & ceteras, tam præcedentes, quād sequentes eiusdem decretalis, quam exponit, at esse definitionem contra errorem Origen. In quo ergo alio precor, error Origen. verbis illis damnatur, nisi quia tamquam certū in fide definitur, angelos non fuissent creatos ante mundum corporeum, sed sūmū cum illo? Certe in nullo alio, nec verba illa aliam definitionem sonant. Et ea definitio funditus euertit errorē Origenis, quod supponit Angelos ante mundum corporeum fuissent conditos. Licet ergo definitio illa sancta non fuerit occasione dirimendi controvēsiam, de qua hoc loco disputamus, sed euertendi ac damnandi errorem Origen. cum tamen peraccidens dirimit. Ex his cōstat, quod opusculū illud potius probat D. Thom, fuisse arbitrari errore esse in fide post eam definitionem asserere angelos ante mundum corporeum fuissent creatos, illiusq; definitionis fuisse oblitum, dum hoc loco scriberet, quād quid in contraria sententia fuerit, & idcirco quidam ex discipulis D. Thomæ, ut non obstante definitione Concil. Lateranen. doctrinam D. Thom, hoc loco defendat, potius negant opusculū illud fuisse D. Thom, quād ex iis, quæ in eo docet, confirmare audeant, non errare in fide, qui post Lateran. Concil. alteraret, verā eis sententiam Graecorum. Hac dixerim, quia sunt, qui violenter trahere conentur opusculū illud D. Thom, ut contrarium probetur.

Caietanus hoc loco, & Canus (tametsi ablique perfecta firmitate 5. de locis c. 5. ad finem quæst. 4.) sententiam illa Concilij non cōtinere fidei definitionem ea in parte, sed obiter esse intertra præcipua definitionem, quam Concilium intendebat, quod nimis nec angelī, nec res corporalē ab extero fuerint aduersus Peripateticos & Chaldeos. Vterque

Vterque tamen addit , longe probabilius , fideique Catholicae consonantius esse , Angelos non fuisse conditos ante mundum corporeum , contrariumque addit Canus , non posse iam hodie defendi sine teneritatis nota , ne quid amplius addat : Caietano subscrivunt Sixtus Senensis lib . 5 . Bibliotheca antiquis . & alij ex iunioribus discipulis D . Thomae , vt alios omissim , qui , non sine violentis dicta decretalis Lateranensis , & epistola Sophronij expositiobibus , contendunt fas esse hodie adhaerere illorum Patrum sententia , qui asserturunt Angelos ante mundum corporeum fuisse creatos . Quin & Epiphanius , vt idem sentiat , perducere conantur .

Sudeten  
Primo.

Potest horum Doctorum sententia confirmari  
primo. Quoniam durum admodum videtur, Patres  
Concilij Lateranensis quicquam aduersus tot gra-  
uissimum Patrum sententiam voluisse constitvere  
tamquam fidei documentum, præsternum cum in  
Scripturis sacris nullum sit solidum fundamentum,  
vnde id possit definiri: & cum August. 1. de ciuitate  
Dei, cap. 32. & Theodosius quest. 3. in Genesim af-  
firmaret, posse sine errore in fide defendi, Angelos  
ante mundum corporeum fuisse conditos, modò  
non asceretur, fuisse conditos ex æternitate: Ec-  
clesia autem nihil sine solidò fundamento definit,  
præsternum cum assistentiam Spiritus sancti non ha-  
beat ad condendas Scripturas sacras, sed solum ad  
deducendum ex iam ante reuelatis, & ad expli-  
canda, que reuelata sunt, atque ad constitendum  
quid in Ecclesia sentiri debeat.

Secundò, quoniam ante Ferrariensem secundo contra gentes, cap. 93. nullus Scholasticorum in tribus centenis annorum, quæ à Concilio Lateranensi usque ad Ferrariensem fluxerunt, tamquam erroneous damnauit, Angelos conditos fuist ante mundum corporeum.

*Qui sentiat  
etorrem esse  
in fido dicere  
Angelos an-  
te mundum  
fuisse condi-  
tos.*

Contrarium videtur verum Ferrariensi loco ci-  
tato, quibusdam ex Salmanticensibus, nonnullisque  
aliis viris doctis, qui commentarios in primum ca-  
put Geneseos nostris temporibus ediderunt, nempe  
post definitionem Concilij Lateranensis errorem  
esse asserere Angelos ante mundu[m] corporeum fuisse  
conditos. Quæ sententia mihi sanè vera videtur:  
rum quòd testimonia Scripturæ, quibus ostendimus,  
Angelos simul cum mundo corporeo fuisse conditi-  
tos (si expendantur, vt nos ea expendimus, & cor-  
roborauimus) sufficientissima proculdubio videantur,  
vt Ecclesiæ id definiret: rum etiam quoniam re  
vera verba Concilij Lateranensis definitionem fidei  
aperte sonant, qua Concilium errorem Origenis, vt  
D. Thomas, vel quiu[m] illius opusculi 23. autor, ex-  
ponit, damnam intendit: eo autem errore ex eo ca-  
pit[e] euerso, quòd Angeli conditi non fuerint ante  
mundu[m] corporeum, vt ex Scripturis facis aperi-  
constat, per accidens occasione erroris Origenis ef-  
fectum est, vt sententia illorum Patrum post eam  
definitionem error efficit in fide. Ac lanè si similibus  
expositionibus integrum esset, vel testimonia aper-  
ta Scriptura sacra, vel definitiones Ecclesiæ adeò  
apertas eruare, omnia facile ruerent, nulliusque  
redderentur vigoris. Nec dubito, quin si D. Thomas  
non afferuerit sententiam illorum Patrum non es-  
se vi errore can condemnandum, numquam Caieta-  
nus dicturus hoc loco esset, oportere definitionem  
illam Ecclesiæ, magis iuxta Concilij intentionem  
quam iuxta sensum verborum interpretari. Imò nō  
dubito, quin se factores omnes D. Thomæ vno ore  
forent afferetur, sententiam illam post eam defini-  
tionem errorem esse in fide.

Verum cum tam multi viri docti assuerent il-

A Ind non esse definitionem Ecclœsiæ , esto quis sibi  
persuadat id esse definitionem , & idcirco contra-  
rium esse hodie errorum in fide , condemnandus is  
non est , vel heres , vel erronea sententia , qui affi-  
maverit Angelos ante mundum corporeum fuisse  
creatos , sed solum temeritatis ( à qua nullus vide-  
tur hodie excusandus ) quoque hac nostra , Fér-  
rariensis , & aliorum sententia communis sit in Ec-  
clesia .

Ad primam ergo probationem, qua per contraria probabantur, dicendum est in primis, Patres illos, si attendunt legantur, non tam testimonii Scriptura facere ductos (neque enim illum est, quod vel mediocrem probabilitatis speciem pro ea sententia inducere possit) quam doctrina Platonis, qui id affirmauit, cui erant dediti, in eam iuuisse sententiam arbitrantes se sufficienter expondere testimonia Scriptura, qua in contrarium tunc occurreret, & prout eo tempore expendebantur. Præterea ducti posteriores autoritate priorum, quam merito grauem iudicabant, tam multi in eam iuuisse sententiam, donec contraire, exp̄s̄ profundiū testimonio variis Scriptura sacra, & lucere cepit. Vnde nullus corū tamquam rem certam fecutus est eam sententiam, sed solum tamquam rationi magis consentaneam, ut corū dicta expēndenti erit manifestum. Deinde negandum est, in Scripturis non esse solidum fundamentum: vnde Ecclesia (cuius est de verō, ac legitimo sensu Scripturarum iudicare) id merito tamquam certum in fide potuerit stabilire: testimonia namque, quæ adduximus & expandimus, ad id sunt sufficientissima. Ad id verō, quod ex Augustino & Theodoro adducitur, dicendum est, Patres illos ante Ecclesias definitionem, testimoniois Scripturarū nondum satis expensis & examinatis, tōique aliis grauissimis Patribus contrarium afferentibus merito eo tempore id affuerat. Contrarium verō hodie proculdubio affirmarent, si modò viuerent.

Ad secundam dicendum est, nemini id mirum  
videri debere: s<sup>e</sup>p<sup>e</sup> namque similia eueniunt, vel  
Doctoribus ad id non attendentibus, vel non au-  
dientibus se profiteri primos damnatores, praefer-  
tim cū D. Thomā autoritas, tot grauiissimorum  
Patrum sententiam ab errore excusauerit. Adde,  
temporibus illis non adeo deditos fuisse Doctores,  
vt circa quācumque sententiam expenditurent, qua  
nota afficienda esset, yr<sup>o</sup> nostra tempestatis Do-  
ctores faciunt.

Supereft repondeamus ad argumenta, quibus Ad primum  
fuiadebatur Angelos ante mundū corporeum fuisse eorum argu-  
conditos. Ad primum dicendum est, iam suprā quā menor quā  
10. art. 3. dictum esse , Paulum ad Tītum 1. per bus ostende-  
tempora fœcalia intellexisse, tempora plurimū fæ- batur, Ange-  
culorum, fœculum verò esse periodum duratio- los ante mū-  
cuiusque rei, ut ibi ostensum est : vnde sensus illo- dum condin-  
rum verborum est : *Quam promiserat* ( Patribus vi- tos esse.  
delicet Testamento veteris , ac legis natura ) ante  
multa fœcula, fœci ante periodos duratioes ac vite  
multorum hominum. Dicendum est etiam ab aliis ex-  
poni, *Quam promiserat*, id est, in semetipso dare sta-  
tuetat, ac predestinauerat ante tempora fœcularia, id  
est, ex aternitate variisque aliis modis etiundem  
locum exponi.

Totidem modis exponi potest secundum testimoniū, nempe gratiam, quā manifestata est per illuminacionēm Saluatoris, datā esse nobis ante tempora secularia, per nudam promissionēm factam tunc Patribus, iuxta illud Zacharie Lucē 1. Insurandum, quod iurauit ad Abram patrem nostrum, daturum sē nobis, ut sine timore de manu inimicorum

nostrorum liberati. seruiamus illi in sanctitate & iustitia. At verò datum ita esse nobis, tamen absque traditione usque ad Christi adventum: promissio namque, præfertim ea, quia firma est & certa, datio atque donatio dicitur, etiam ante traditionem, sumpto tamen latius vocabulo. Exponi etiam potest, datum fuisse nobis, id est, constitutum dari ante tempora secularia, id est, ex aeternitate.

*Ad secundum.*

Quod ad secundum argumentum attinet, septuaginta Interpretes in hunc modum transferunt locum illum: *Quando facta sunt astra, laudaverunt me vox magna omnes Angeli mei.* Eamque lectionem fecuti ferè omnes Patres illi, qui Angelos ante mundum corporeum conditos esse affirmant, ex eo loco ea ratione suam colligunt sententiam, quasi astra vna cum mundo corporeo sint condita, Angelique debuerint fabricam astrorum præcedere, ut quando astra Deus condebat, ex eorum opificio ipsum laudarept. At neque astra simul cum mundo corporeo esse cœperunt, quandoquidem quarta die à Deo fuerunt producta, vt Genef. i. Scriptura aperte docet: nec verò sic cum mundo corporeo esse cœpissent, præberent ansam sufficientem, vt inde illa tentativa colligeretur. In quo enim momento Angeli conditi fuerunt, ex sui, & ceterarum rerum creaturarum contemplatione assurgere optimè potuerunt in laudem Dei, rēque ipsa affurrexerunt. Quod ad editionem vulgatam attinet, ab illi verbis: *Cum me laudabant simul omnia astra matutina*, distincta est interrogatio, unde supplēdūm, repertendūmque est: *Vbi eras cùm me laudabant simul omnia astra matutina*, id est, matutino tempore ante lucem solis apparent, quando aduentante iam die iucundior est eorum aspectus, & iubilarent omnes filii Dei, id est, omnes Angelii iusti: & quasi dicat, nūquam tūc eras. Porrò laus illa astrorum, metaphorica est communis omnibus creaturis cognitione parentibus, eo modo quo de celis dicitur: *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum, Dies dei eructat verbum, &c. & sæpi in Psalmis creatura omnes ad laudem Dei inuitantur: ex illis autem verbis nequam colligitur Angelos ante mundum corporeum fuisse factos.*

*Ad tertium.*

Ad tertium dicendum est, Luciferum ea ratione fuisse principium viarum Dei, quod nulla creaturam eum duratione antecesserit, & quod ipse prælatione perfectionis & dignitatis cæteras antecesserit.

*Ad quartum.*

Ad quartum quamvis dīcī posset, sapientia etiam creatam Angelorū, ea ratione post affirmari fuisse primò creatam, quod nihil ante eam creatum fuerit, quodque (simul cum subiecto spectata) cætera dignitate antecedat, dicendum tamen est, locum illum de sapientia sumpta pro Filio Dei esse intelligendum: dici verò creatam, hoc est, productam ante omnia: quo pacto verbum, *creare*, sæpe usurpatum.

*Ad primam partē quinti argumenti.*

Ad primam partem quinti argumenti, dicendum est, si quicquam probaret, probaturam etiam hominem conditum esse ante cæteras res corporeas, & cælos ante terram, & ita de reliquis rebus, quæ alias dignitate antecedunt, quod tamē constat esse falsum. Pulchritudo autem vniuersi postulabat, vt omnia simul conderentur, nisi Deus sua sapientia & arbitrio elegisset res corporeas sex primis diebus fabricare propter rationes in tractatu de opere sex dierum reddendas, & propter alias, quas ipse melius, quam nos, habet cognitas & perfectas.

*Ad secundū.*

Ad secundam partem dicendum est, cū à quo cumque pūcto durationis imaginaria, in quo Deus Angelos condiderit, præcesserit infinita duratio, in

A qua nihil condidit, ac administravit, eamdem vim habere argumentum, siue quis dicat Angelos simul cum mundo corporeo, siue ante mundum corporeum fuisse conditos: quare cū hæreticum sit affirmare Angelos ex aeternitate fuisse conditos, constat argumentum nullam vim habere. Præfertim cū ex creatione & administratione rerum nihil, vel commodi, vel perfectionis Deo accrescat.

#### ARTICVLVS IV.

*Virum Angeli sint creati in celo Empyreo.*

**C**OMMUNIS conclusio Scholastico-  
rum est, Angelos in celo empyreo vna  
cum illo fuisse creatos. Eam affirmant  
etiam Beda cum Strabone super illud  
Genef. i. *In principio creauit Deus cælum & terram.*  
Et plerique alij, potestque probari creatos esse in  
celo ex illo ad Coloss. i. *In ipso condita sunt uni-  
versa in celo & in terra, siue Throni, siue Domina-  
tiones, &c.* Præterea quia angelii mali in celo pec-  
cauerunt, & de celo corruerunt, vt articulo præce-  
denti multis ostensum est, quare in eo erant, & in  
eo conditi sunt. Cū autē simul cum mundo cor-  
poro sint conditi, neque statim à principio Deus  
orbis mobiles creauerit, fit, vt in celo Empyreo  
sint cōditi, quod nomine celi Genef. i. intelligitur,  
dum dicitur: *In principio creauit Deus cælum & ter-  
ram: fit etiam vt Angeli, qui orbis cœlestes mouent,  
in celo Empyreo sint conditi vna cum cæstis An-  
gelis, inde verò descenderint ad mouendum orbis  
sibi commissos, cū primum orbis conditi sunt, &  
moueri coepérunt. Et forte descensus ille, & depu-  
tatio Angelorum ad mouendos orbis, fuit post fi-  
nitam Angelorum viam, atque adeò post peccatum  
quorundam, & beatitudinem reliquorum. Quod si  
fuit ante finitam eorum viam, eos Deus sua prouid-  
entia deputauit, quos prævidit pro sua libertate  
non lapsuros.*

#### QVÆSTIO LXII.

De perfectione Angelorum in esse  
gratia & gloria.

#### ARTICVLVS I.

*Virum Angeli fuerint in sua creatione beati.*

**R**IMA conclusio est. Angelii statim, <sup>1. Canticum</sup> ac creati sunt, fuerunt beati beatitudine <sup>Angeli</sup> naturali, quæ in ea cognitione & con-  
templatione Dei optimi maximæ, quæ in <sup>2. Cantico</sup> instanti, in quo creati sunt, seipso perfectè cognoverunt, & in seipso causam primam Deum optimum maximum, à quo conditi sunt, attributum que omnia, <sup>3. Cantico</sup> F que de eo naturaliter cognosci valent.

Secunda conclusio. Angelii non fuerunt creati beati beatitudine supernaturali, quæ in visione diuinæ essentiae consistit: quoniam ab hac fænæ adde-  
pta nullus decidere potest: Angelii autem mali deci-  
derunt ab eo statu, in quo conditi sunt, vt ex Scri-  
pturis sanctis constat ergo non fuerunt in eo beatitudinis statu producti.

Sunt tamen nonnulla animaduertenda. Primum  
est. Licet omnes Angelii (etiam qui corruerunt)  
fuerint